DE

VOCIBUS HOMERICIS

IN

Moros

ΜΩΡΟΣ

DESINENTIBUS

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE.

PROPOSUIT

CAROLUS WILHELMUS LUCAS.

BONNAE

LITTERIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVII.

§. 1.

Carminum homericorum interpretationem qui susceperunt, multa cum in rebus, tum in verbis offendunt mira difficultatis varietate quadam impedita; quorum alia per se abdita sunt et retrusa tantisque vetustatis quasi tenebris obducta iacent, ut ne acerrimis quidem eruditissimorum hominum studiis neque praestantissimi ingenii acumine unquam illustrari posse videantur; alia eaque haud pauca aliquamdiu visa sunt significationis obscuritate latere et per multas profecto aetates latuerunt, neque tamen sua natura ingentem difficultatem viris doctis parabant, sed ab antiquis potissimum Homeri interpretibus tam male habita sunt tamque mirifice distorta coniecturis, ut qui observationes eorum legisset, dissensione atque opinionum vanitate quasi obcaecatus de sua interpretatione non ita multum salutis sperare posset. Nam ut aliis nominibus vituperandi sunt linguae indagatores, ita maxime in Homero peccaverunt, quod plura vocabula, quorum cognationem doctissimus quisque probatam perspectamque habet, singula considerant et ex suo arbitrio temere explicant, ratione habita eius sententiae, quam sua sibi impudentia finxerunt. In quo quidem studio vani coniectores operam curamque egregie consumunt, ut quorum mentes sua doctrina illustrare debeant, iis ipsis lucem eripiant et quasi noctem quandam rebus offundant. Sed ut quo pertineat haec mea reprehensio, ingenue fatear, ego vero cogito de vocabulis homericis in *ΜΩΡΟΣ* desinentibus, quae tria sunt, *ἰόμωρος*, Jl. δ, 242. ξ, 479. *ἐγχεσίμωρος*, Jl. β, 692. 840. η, 134. Od. γ, 188. *ὑλακόμωρος*, Od. ξ, 29. π, 4. adiungimus quartum, quod unum, ni fallor, accedit Herodoti, *σινάμωρος*, V, 92.

Iam voces illas homericas ab antiquis inde temporibus ad nostram usque aetatem diversissima ratione explicatas esse, facile intelligunt, qui interpretum in Homeri carmina commentarios evolvunt. Quarum opinionum age brevem

recensum faciamus, ut quae antiquis magna onera esse videbantur, facillima saepe opera sublevari atque tolli posse, ex hac disquisitione appareat.

§. 2.

1. Ac primum quidem *ἰόμωρος* compositum esse dicitur ab *ἰός*, *sagitta*, et *ὤρα*, *custodia* (*φροντίς*), ita ut *μ* insertum sit totoque vocabulo significetur *ἰῶν φύλακες*. Schol. ad Jl. δ, 242. Hanc interpretationem, quam etiam Eustathius ad Jl. p. 467, 37. et p. 998, 48. commemorat, Dammius lex. hom. sub voce *ἰόμωρος* quidem non secutus est, sed ad vocem *ὑλακόμωρος* explicandam adhibuit.

Aliter. *ἰόμωροι, οἱ περὶ ἰοὺς πεπονημένοι.* Schol. ad Jl. δ, 242. Hesych. s. v. Etym. 472, 57.

Aliter. Eustathius ad Jl. p. 467, 34. haec habet, *ἰόμωροι δὲ νῦν ἀπὸ μέρους οἱ ἁπλῶς πολεμισταί, κυρίως δὲ οἱ περὶ βέλη μεμορημένοι, ὅ ἐστι κακοπαθοῦντες ἐκ τοῦ μόρος, ὃ δηλοῖ τὴν κακοπάθειαν, ἐκταθέντος τοῦ ο.* Cfr. Eustath. ad Jl. p. 998, 45. Schol. ad Jl. ξ, 479. Apollon. Soph. lex. homer. s. v. Hesych. s. v. Etym. 473, 1.

Aliter. *ἰόμωροι, ἰοῖς μοῖραν διδοντες.* Schol. ad Jl. ξ, 479. sive *οἱ μόρον ἐμποιοῦντες ἐν ἰοῖς, ἐκτάσει τοῦ ο εἰς ω μέγα.* Eustath. ad Jl. p. 998, 45.

Aliter. *ἰόμωροι, ἰοὺς ὀξεῖς ἔχοντες· μόρον γὰρ τὸ ὀξὺ Κύπριοι, ὅθεν καὶ ὑλακόμωροι.* Schol. ad Jl. ξ, 479. cfr. Eustath. ad Jl. p. 998, 47. Hanc interpretationem Aristarchi esse, apparet ex lexico Apollonii Sophistae, qui reliquas voces homericas in *ΜΩΡΟΣ* exeuntes eadem ratione declarari vult. Cfr. Eustath. ad Od. p. 1749, 36. Etym. 776, 22.

Aliter. *ἰόμωροι, ἰοὺς ὀξεῖς ἔχοντες καὶ δι' αὐτῶν ἢ ἐξ αὐτῶν μόρον, ὅ ἐστι θάνατον, ἐπιφέροντες.* Sic Hesychius s. v. In qua definitione utraque significatio, quam alii voci *μόρος* tribuerunt, *ὀξύ* et *μοῖρα* sive *θάνατος* coniuncta est.

Aliter. *ἰόμωροι, οἱ περὶ τὴν μάχην καὶ τὸν πόλεμον ἀναστρεφόμενοι.* Schol. ad Jl. δ, 242. Quibus verbis non etymologiam vocabuli, sed poetae mentem generaliter et minus definite grammaticus ille proposuit.

Aliter. *ἰόμωροι, οἱ ἰόντες ἐπὶ τὸν μόρον, οἷον ἄψυχοι· ἀπὸ τοῦ προφανῶς ἐπὶ τὴν ἀπώλειαν ἰέναι.* Dionysius Thrax apud Apollon. Soph. lex. hom. s. v.

Aliter. *ἰόμωροι* non, ut vulgo iudicatur, ab *ἰός*, *sagitta*, sed ab *ἴον*, *viola*, derivandum existimatur; *ἰός* enim penultimam productam habet, *ἴον* vero semper correptam. Quare in Homeri locis vox reddenda est, fato violae destinati h. e. brevis vitae. Haec fere observavit Antonius Askevius, laudatus ab Alberto ad Hesychium s. v. *ἰόμωροι*.

Aliter. Heynius ad Jl. T. IV, p. 604. vocem antiquam esse, neque de eius vi, sensu et etymo liquere existimat; coniicit tamen, vocabulum duci posse ab *ἴος, μόνος*, ut significentur eodem fato nati, vel pares aerumnas tolerantes. Idem vir doctus non videtur recusare Askevii interpretationem, sed eam rationem sequitur, quam de eadem voce Koeppenium statuisse videmus, ut homines miseros indicari velit; in cuius rei similitudinem afferunt homericum illud *πορφύρεος θάνατος*. Sed ut de verborum sensu nunc taceam, quis haereat apud Homerum in vocalis ancipitis natura urgenda, maxime quum in longioribus compositisque vocabulis soni suavitas inprimis observetur? Etenim illis litteris ad facilitatem versus pangendi maxima atque eadem libertas concessa erat, quam vocalibus *ε* et *ο* concessam videmus; praeterquam quod in his quidem postea diversae formae diversam naturam significarunt, in illis varia soni vis una formatione expressa est. Habes *μυρῖκαι*, Jl. *φ*, 350. sed *μυρῖκῃσιν*, Jl. *φ*, 18. itemque *φοινῖκοπαρῄους*, Od. *λ*, 123. sed *φοινῖκόεσσαν*, Jl. *κ*, 133. alia. Quare de vi metrica vocabuli *ἰόμωρος* nullus nisi morosior homericae simplicitatis interpres dubius esse potest, neque facile quemquam existimo in posterum sagittam esse cum viola permutaturum.

Aliter. Koeppenius ad Jl. *δ*, 242. (cfr. ad Jl. *β*, 692.) recte quidem vertit vocem *ἰόμωρος*, sed perperam interpretatur, partim veterum errores amplectens, quum dicit, milites significari miseriis designatos, partim violam illam Askevii arripiens, in qua solum colorem nigricantem respiciendum esse censet, ita fere ut sint atrae morti destinati, rationibus depromtis ex simili compositione *ἰοειδής, ἰοπλόκαμος, ἰοβόστρυχος*.

Aliter. Wolfius (observ. ad Jl. *δ*, 242. ed. Uster.) alteram vocabuli partem *ΜΩΡΟΣ* obscùram esse existimat; tum propositis nonnullis interpretum opinionibus Koeppenii sententiam probat; denique ipse errare videtur, quum sensum loci constituit his verbis, *am besten: ein Mann, der sich durch seine Feigheit den Pfeilen blossgiebt.*

Aliter. In malam partem accipiunt vocem, qui derivant ab *ἰά* i. e. *βοή* sive *ἰωή* et *μωρός*, quo is significetur, qui insane h. e. vehementer clamet. Cfr. Passovii lex. gr. s. v.

Aliter. Fuerunt qui vocem ex *ἰά* et *μόρος* constare arbitrarentur eosque indicari contenderent, qui clamando solum essent occupati. Cfr. Passov. lex. s. v.

Aliter. Qui derivant ab *ἰά* et *μῶλος*, significant homines, quorum fortitudo in vana magniloquentia posita est. Cfr. Passov. lex. s. v.

2. De voce *ἐγχεσίμωρος* nihil monent scholia et Eustathius, praeterquam quod hic ad Jl. p. 322, 39. dicit, *ἐγχεσίμωροι, περὶ τὰ ἔγχεα μεμορημένοι, ὅ ἐστι κακοπαθοῦντες, ἐκταθέντος τοῦ ο εἰς ω, ὡς καὶ ἐπὶ τοῦ ἰόμωροι γίνεται.* Quibus intelligitur, veteres idem iudicasse, quod de voce *ἰόμωροι* uberius exposuerunt. Cfr. Eustath. ad Jl. p. 671, 15. p. 467, 37. neque nova tradit Hesychius et Apollonius Sophista lexico. Cfr. Passov. lex. gr. s. v. Etym. 776, 25.

3. In explicanda voce *ὑλακόμωρος* conspicitur mirifica quaedam interpretandi varietas. Nam dicuntur *ὑλακόμωροι οἱ περὶ τὴν ὑλακὴν μεμορημένοι, ὅ ἐστι πεπονημένοι, ἐκταθέντος καὶ πάλιν τοῦ ο τῆς παραληγούσης.* Eustath. ad Od. p. 1749, 37. Cfr. Apollon. Soph. lex. s. v. Etym. 776, 21.

Aliter. Eustathius eodem loco haec servavit, *ὑλακόμωροι οἱ περὶ ὑλακὴν καὶ φυλακὴν ὄντες, παρὰ τὴν ὤραν, τὴν φυλακήν, ἵνα εἶεν ὑλακόωροι, πλεονάσαντος δὲ τοῦ μ ὑλακόμωροι.* Cfr. Dammii lex. homer. s. v.

Aliter. Idem Eustathius ad Od. p. 1749, 34. sic habet, *ὑλακόμωροι κατὰ μὲν Ἀρίσταρχον ὀξύφωνοι, ἐπεὶ καὶ μόρον ἐν ἄλλοις ἐδηλώθη λέγεσθαι τὸ ὀξύ, ὃ ἐξετάθη ἐν τῷ ὑλακόμωροι.* Cfr. Etym. 776, 22. Quam quidem interpretationem a multis improbatam esse, intelligitur ex toto illo loco Eustathii. Illud *μόρον* Cypriis fuisse *τὸ ὀξύ*, scholiasta refert ad Jl. *ξ*, 479. Etym. 776, 23.

Aliter. Eustathius ad Od. p. 1749, 38. vocem a *μωρός*, *insanus*, derivatam esse testatur eamque interpretationem absurdam visam esse grammaticis, quod hoc vocabulum apud Homerum non inveniatur.

Aliter. Passovius, quem de recentioribus unum commemoro, vocem non compositam esse putat, sed meram praebere derivationem ab *ὑλακή*.

§. 3.

Habes in his variis explicationibus inepta grammaticorum somnia atque vana commenta, indigna maximam partem, quae argumentis refutentur. Sed eae ipsae disputationes, ne specie quidem verisimilitudinis firmatae, vestigia fere continent, quibus, si caute procedimus, ad probam significationem ducamur; meliora tamen ad absurda deflexit et misere foedavit grammaticorum inscitia. Cuius rei ut unum exemplum afferamus, explicatio vocis *ὑλακόμωροι*, quam Aristarchi, praestantissimi grammatici, auctoritate firmatam commemoravimus, ab aliis iisque indoctioribus pessime habita esse videtur. Coniicio enim, Aristarchum vocem *ὑλακόμωροι* non explicasse, ratione habita singularum vocabuli partium, sed dixisse, ad sensum idem esse, quod *ὀξύφωνοι* (Cfr. Eustath. ad Od. p. 1749, 35. Spitzner. ap. Koeppen. ad Jl. o, 312.). Inde illud natum est apud Hesychium, *ὑλακόμωροι· οἱ βαρύφωνοι, ὀξύφωνοι*; contra illud *ὀξύ*, quo vocem *μωρόν* accurate reddi monent, a grammaticis videtur inventum esse, vel aliunde translatum. Ex eiusmodi ineptiis temere conflatus est Hesychii locus *μωρόν· ὀξύ, μάταιον, ἀμβλύ, βαρύ, δεινόν, νωθρόν, ὑλακτικόν, πεπονηκὸς περί τι, ἠλίθιον*; unde patet, grammaticos, cum lexica consarcinarent, radice verborum neglecta significationes undique conquisivisse, quae ad singulares locos satis bene se haberent, coniunctae nihil valerent.

Ego vero si quid in illis grammaticorum opinionibus lateat, quo adhibito rectam viam prosequi licebit, non detrectabo; sed ut mihi persuasum est, voces in *ΜΩΡΟΣ* desinentes omnes ad eandem rationem revocandas esse, neque facile quemquam interpretum illam rationem clare perspexisse, interpretationem, quae mihi quidem argumentis satis firmata est, aliorum iudicio ingenue proponam simulque addam argumentationem, in qua sententiae meae firmamentum constare mihi visum est.

§. 4.

In formatione et significatione constituenda redeundum est ad vocem *MEP*, ex qua radice permulti surculi progeminarunt, ut *μέρος*, *μείρομαι*, *μόρος*, *μοῖρα* et amplificatae formae *μέρμερος*, *μερμηρίζω*, aliae. Quorum vocabulorum primariam vim et notionem in dividendo et tribuendo positam si enucleatius consideramus, tres potissimum significationes se excipiunt, ut primum generaliter pars quaelibet indicetur, tum ratione considerata, quae deos intercedit atque homines, ea pars et conditio significetur, quam a diis constitutam in vita experimur, denique una illa pars singularis, fatalis hominibusque communis cogitetur. Etenim hominibus nihil est morte certius, et vere canit Homerus, Jl. ζ, 488.

μοῖραν δ' οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.

Est illa sententia humanae mentis naturae profecto consentanea, atque voces *μόρος* et *μοῖρα* (de his enim solis nunc agere placet;) cum simplices, tum aliis vocabulis adiunctas, illarum trium significationum unam repraesentare, quam quidem loci sensus proponit atque commendat, Homeri lectio me constanter docuit. Itaque *μοῖρα* primum usurpatur de parte sive portione qualicunque, quam aliquis nancisci potest, veluti opum (Od. δ, 97.), cibi (Od. ξ, 448. ρ, 335. τ, 423.), noctis (Jl. κ, 253.), regionis (Jl. π. 68.), aliarum rerum (Od. γ, 40. Jl. δ, 170. ο, 195.).

Vocabulum *μόρος* quidem hanc universalem significationem non habet apud Homerum, contra de vi quadam fatali, quam in vita humana valere existimabant, saepissime usurpatur. Itaque haec altera notio, quam eandem dicas generalem, saepe locum habet in carminibus homericis, ut quum Hector Achillem alloquitur, Jl. χ, 280.

ἤμβροτες, οὐδ' ἄρα πώ τι, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
ἐκ Διὸς ἠείδεις τὸν ἐμὸν μόρον, ἤτοι ἔφης γε.

De voce *μοῖρα* hoc exemplum adscribam, Od. ε, 114.

ἀλλ' ἔτι οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν.

Cfr. Jl. η, 52.

Sed ut facile intelligis, voces illas primum generalem notionem indicasse atque mediam significationem, quae in bonam aeque ac malam partem accipi potuerit, ita plerumque voces mediae in alterutram potissimum significationem se inclinant, eae vero, quas commemoravimus, in bonam partem raro interpretandae sunt. Prosperam tamen fortunam *μοῖρα* indicat Jl. *γ*, 182.

ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον!

et Od. *υ*, 76.

ὁ (Ζεὺς) γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα,
μοῖράν τ' ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων.

Quo loco antiqui *μοῖραν* recte interpretantur *εὐδαιμονίαν καὶ εὐτυχίαν.* Cfr. Eustath. ad Od. p. 1883, 52. Plerumque in malam significationem voces illae abierunt ipsaque vis ad deos refertur, qui omnium, quae hominibus tribuuntur, auctores existimantur. Itaque *μοῖρα* ad deos pertinet (Od. *χ*, 413.), a quibus generi humano tribuitur, adeoque dea facta est (Jl. *ω*, 209.) et cum Iove, deorum potentissimo, coniuncta (Jl. *τ*, 87.) *). Quodsi de fati deorumque natura quaeris, non facile quisquam probabit, Iovis voluntati ac potentiae severam quandam et inexorabilem fati vim obnoxiam esse. Sin vero humanarum rerum procurationem in diis spectamus, neque omni curatione et administratione rerum vacare eos, neque contra a principio omnia constituisse et in omne tempus disposuisse et tribuisse, Homeri carmina docent. Neque enim Iovis aliorumque deorum natura certis finibus circumscripta est, quoniam humanae naturae imbecillitas et temeritas ita permixta est cum deorum immortalium gravi-

---

*) Ad eandem rationem refero illud *ὑπὲρ μόρον* (Jl. *φ*, 517. Od. *α*, 34. 35. *ε*, 436), quod Wolfius quidem semper uno vocabulo repraesentat, aliis veterum grammaticorum probantibus (Eustath. ad Od. p. 1387, 64.), aliis dissentientibus (schol. ad Od. *α*, 35.). Quae controversia quamquam non gravissimi momenti est, tamen meo quidem iudicio ita est comparata, ut voces seiungendas esse arbitrer. Nam si adverbium *ὑπέρμορα* (Jl. *β*, 155.) suadere videtur, ut copulentur, alia, uti *ὑπὲρ μοῖραν* (Jl. *υ*, 336.), *ὑπὲρ αἶσαν* (Jl. *π*, 780.), quae vel Wolfius seiunxit, ut distrahantur, paene iubent. Oppositae sunt dictiones *κατ' αἶσαν*, Jl. *γ*, 59.

ἐπεί με κατ' αἶσαν ἐνείκεσας, οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν,

itidem *κατὰ μοῖραν*, *ut par est*, *ut decet*, *rite*, Od. *ι*, 245. cfr. Od. *ξ*, 509.

tate et constantia, ut omni divina maiestate haud raro privari videantur. Itidem non ea est conditio hominum, ut fati vim negare queas omniaque forte, temere et casu fieri facile contendas; sed nunc leges quaedam observantur et necessitas, qua ex deorum consilio res eveniunt, ut de Troiae excidio iudicandum est, itemque Ulysses a Neptuno irato per varias terras iactatur, a Minerva autem servatur factoque deorum decreto a Iove ex insula Calypsonis revocatur; nunc singulis hominibus liberaliter permittitur, quam suam sibi fortunam condere velint, cuius rei proci ac servi Penelopae documentum insigne reliquerunt; nunc hominum fortuna vel a diis utpote anceps et dubia proponitur, ut eligendi facultas concedatur: nam Achilles, ut hoc unum afferam, quum duplex vitae fatum se experiri posse sciret, ut aut longaevus sine gloria in patria moreretur, aut iuvenis cum sempiterna laude ad Troiam obiret, gloriam prae diuturna vita elegit; nunc denique si quis in malam rem abire conatur, propensus deorum animus nonnunquam conspicitur, qui quominus dira patiatur, impedire studeat, dummodo ille admonitus prudenter sibi cavere velit, ut Aegisthus probat, qui cum in eo esset, ut cum Clytaemnestra, Agamemnonis uxore, adulterium committeret, a Mercurio, Iovis ministro, ne id faceret, benevole admonitus, pessimae tamen libidini indulsit nefandique sceleris luit poenas. Quae cum ita sint, ex multis Homeri locis patet, homines, quibus nihil mali unquam dii constituissent, suis sibi sceleribus atque ineptiis vel turpissimas calamitates contraxisse. Illa igitur *ὑπὲρ μόρον* evenire Homerus existimat.

Quoniam vero ex perpetua hominum opinione dii omnia mala dirasque calamitates generi humano tribuisse creduntur, cuius rei mentionem Iuppiter facit in deorum concione (Od. *α*, 32.) his verbis,

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι,

non mirum est, *μοῖραν* illam relatam esse ad mortem, quam omnibus communem calamitatem (*ὁμοίϊον*, Jl. *δ*, 315.) dii constituerunt (Od. *γ*, 246. *λ*, 559.). Itaque coniunguntur *θάνατος* et *μοῖρα* (Jl. *π*, 853. *χ*, 436.), vel *θάνατος* et *μόρος* (Od. *π*, 421. Jl. *ω*, 85.).

§. 5.

Quod de substantivis vocabulis μόρος et μοῖρα dictum est, idem de derivatis vocibus et compositis valet. De quibus rebus ut via et ratione agatur, triplex illa significatio comprobanda est.

1. Qualiscunque rei participem aliquem esse significatur.

a) ἄμμορος, *non particeps;* quo sensu de Arcto dicitur, Jl. σ, 489.

οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

b) ἔμμορος, *particeps,* ut Od. ϑ, 480. ἀοιδοὶ τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς.

c) ἰσόμορον Neptunus se vocat (Jl. ο, 209.), quod cum mundus inter se fratresque divideretur, sua sibi pars aequa tributa sit.

2. Deorum consilio aliquid tributum esse indicatur.

a) αἰνόμορος is dicitur, cui misera sors a diis constituta est i. e. gravi fato pressus, ut Od. ι, 53.

τότε δή ῥα κακὴ Διὸς αἶσα παρέστη
ἡμῖν αἰνομόροισιν, ἵν' ἄλγεα πολλὰ πάϑοιμεν.

b) κάμμορος (κακόμορος) eum significat, qui infelici fato premitur. Ita apud inferos Ulyssem mater alloquitur, Od. λ, 216.

ὤ μοι, τέκνον ἐμόν, περὶ πάντων κάμμορε φωτῶν.

c) μόριμον est fato destinatum, a diis datum; qua significatione legitur Jl. υ, 302. μόριμον δέ οἵ ἐστ' ἀλέασϑαι.

d) μόρσιμος eandem vim habet, ut quum de marito dicitur, quem dii alicui in matrimonium constituerunt, Od. π, 392.

ἡ δέ κ' ἔπειτα
γήμαιϑ', ὅς κε πλεῖστα πόροι, καὶ μόρσιμος ἔλϑοι.

Cfr. Jl. τ, 417.

e) δύσμορος, *miseriis afflictus,* dicitur saepe Ulysses (Od. α, 49. π, 139. ω, 311.), cui res adversas prae ceteris dii destinarunt.

f) Hanc quasi regulam secutus interpretor vocem ἄμμορος sive ἄμορος, quae constat ex α et μόρος. At α, quod privativum vulgo vocant, vocem notione non privat solum, sed interdum notionem, quae voce continetur, minuit eamque perperam se habere indicat. Nam, ut exemplis utamur, ἀβουλία idem valet, quod

δυσβουλία sive κακοβουλία, ἀπρόσωπος idem, quod κακοπρόσωπος, ἄβιος idem, quod δύσβιος; item γάμος ἄγαμος, δῶρα ἄδωρα. Quare α illud idem est, quod δυς, ut Penelope dicitur μῆτερ ἐμή, δύσμητερ, Od. ψ, 97. itemque Jl. σ, 54. Achillis mater δυσαριστοτόκεια, quae egregium filium peperit, sed diro fato destinatum. Itaque ἄμμορος (Jl. ζ, 408.) idem significat, quod δυστυχής sive δύσμορος; eodemque modo interpretandum est ἀμμορίη (Od. υ, 76.), *infortunium.*

g) In voce δυσάμμορος (Jl. χ, 428. 485. ω, 727.) particulae δυς et α copulatae vim calamitatis fato tributae augent.

3. Ad fati notionem accedit significatio mortis, quippe quae omnium fato contineatur. Cuius rei exempla quaedam apponamus.

a) μόρσιμος est morti destinatus; probatur id Jl. χ, 13. ubi Apollo Achillem alloquitur his verbis,

οὐ μέν με κτενέεις, ἐπεὶ οὔτοι μόρσιμός εἰμι.

Idem valet in dictione μόρσιμον ἦμαρ, Od. κ, 175.

b) ὠκύμορος alterum vocabulum est, quod de morte interpretandum esse dicas. Habet illud duplicem significationem, passivam, qui mature moritur, Jl. σ, 95. et activam, qui celeriter mortem parat, ut ἰοὶ ὠκύμοροι, Jl. ο, 441.

§. 6.

Haec tenenda sunt de voce μόρος atque ad significationis rationem, quam secundo loco exposuimus, referendas esse censemus voces ἐγχεσίμωρος, ἰόμωρος, ὑλακόμωρος, σινάμωρος, modo statuas, ο mutatum esse in ω; quam litterae productionem ob multas breves vocales, quae in illis vocibus cumulantur, necessitas metrica postulat. Scimus enim, qui Homerum legimus, multo audacius litteras permutari qualescunque et formas, α produci in η, ut χαλκοβάτης (Jl. α, 426.) et ἐμπυριβήτης (Jl. ψ, 702.); α in αι, ut παρά (Jl. α, 26.) et παραί (Jl. ο, 175.); ε in η, ut μέροψ (Jl. α, 250.) et μερμηρίζω (Jl. α, 119.); ε in ει, ut λέων (Jl. ο, 630.) et λείουσι (Jl. ε, 782.); ο in η, ut ὀλιγοδρανέων (Jl. ο, 246.) et ὀλιγηπελέουσα (Od. τ, 356.); ο in οι, ut μόρος (Od. π, 421.) et μοῖρα (Jl. π, 853.); ο in ου, ut δολιχός (Jl. κ, 52.) et δουλιχόδειρος (Jl. β, 460.). Itaque cum productiones eiusmodi in reliquis voca-

bulis apud Homerum sexcenties inveniantur, in illis formis nihil est insoliti; quamquam Buttmannus (gram. gr. §. 25. II, 1.) contendit, ο rarissime mutari in ω. Saepissime id fieri probabimus exemplis. Nam invenitur αἶϑοψ (Od. ν, 8.) et Κύκλωψ (Od. α, 69.), δόμος (Od. α, 83.) et δῶμα (Jl. α, 533.), δοτήρ (Jl. υ, 44.) et δωτήρ (Od. ϑ, 325.), δύο (Jl. χ, 46.) et δύω (Jl. β, 822.), βοτήρ (Od. ο, 504.) et βώτωρ (Od. ξ, 102.), Διόνυσος (Od. λ, 325.) et Διώνυσος (Jl. ζ, 135.), γαιήοχος (Od. α, 68.) et ἀγέρωχος (Jl. η, 343.), ποτάομαι (Jl. β, 462.) et πωτάομαι (Jl. μ, 287.), τρόπεον (Jl. σ, 224.) et τρωπᾶσϑαι (Od. τ, 521. cfr. Eustath. ad Od p. 1639, 40. ad Jl. p. 719, 56.), ἐπίστροφος (Od. α, 177.) et ἐπιστρωφῶσι (Od. ρ, 486.), τροχάω (Od. ο, 451.) et τρωχάω (Jl. χ, 163.), πολέω, ἀμφιπολεύω (Od. υ, 78.) et πωλέω, ἐπιπωλέω (Jl. γ, 196.), σόω (Jl. ι, 424.) et σώω (Jl. ϑ, 363.), πλοΐζω (Suid. s. v.) et πλωΐζω (Hesiod. Ἔργ. 634.), πλόϊμος et πλώϊμος, κόβαλος et κώβαλος, κόνιον (κόνειον) et κώνειον, μορία et μωρία, συκόμορον (ficus sycom. Linn.) et μωρόσυκον. Eandem licentiam poetae in multis adiectivorum terminationibus intelligere licet, ut est σκιόεις (Od. ν, 2.) et εὐρώεις (Jl. υ, 65.), αἱματόεις (Jl. ν, 617.) et ὠτώεις (Jl. ψ, 264.), μετήορος (Jl. ϑ; 26.) et ἀπήωρος (Od. μ, 435.). Cfr. Eustath. ad Jl. p. 671, 15. et ad Od. p. 1749, 36. Sed memorabile est, illas ipsas voces, quas ad examen vocamus, ita apud veteres scriptas reperiri, ut ο breve insit. Nam legitur apud Etymologum 630, 25. ἐγχείμορος, itemque σινάμορος (Etym. 713, 27.); quam quidem formam apud Herodotum (V, 92. 6.) exhibuerunt nonnulli editores, Wesselingius, Reizius, alii; recentiores autem, Gaisfordus, Matthiae, Baehrius, constantia ducti, σινάμωρος recte receperunt. Cfr. Lobeck. ad Phryn. p. 690. Unum vocabulum commemorandum restat in ο breve semper desinens, γεώμορος, γειόμορος, γήμορος, γάμορος, quo agricolarum ordo in veteri Atheniensium re publica significatur (cfr. Aesch. Suppl. 628. Hesych. s. v. Herod. VII, 155. Etym. 229, 43.); itemque de bove legitur, nimirum agricola et aratore (Apollon. Rhod. Argon. I, 1214.). Quae vox est nostris illis persimilis, quod prior eius pars substantivum est, reliqua autem exempla, quibus ad sententiam probandam usi sumus, aut adiectiva continebant, aut particulas.

§. 7.

Ad ipsam interpretationem ut transeamus, est illa quidem iam perfacilis. Nam *ἐγχεσίμωρος* indicat eum, qui hastis destinatus est, qui suapte natura ductus in hastis tractandis versatur, qui ad hastas scite iaculandas natus et aptus est. Quare strenui bellatores apud Homerum indicantur, qui cominus pugnant atque fortitudine insignes habentur, nimirum *ἀγχέμαχοι* (Jl. *ν*, 5.) vel *ἐγχέσπαλοι* (Jl. *β*, 131.). Quales enim homines sunt, tales a diis eos constitutos esse, Homerus existimavit multis locis, ut Jl. *α*, 290.

εἰ δέ μιν αἰχμητὴν ἔθεσαν θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
τοὔνεκά οἱ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι;

Post Homerum vocem *ἐγχεσίμωρος* et simplicem et gradu comparativo positam inveni in epigrammate Ammiani (Anal. II, p. 389.), cuius verba haec sunt,

Κύλλος καὶ Λεῦρος, δύο Θεσσαλοὶ ἐγχεσίμωροι.
Κύλλος ἐκ τούτων ἐγχεσιμωρότερος.

Quibus versibus verisimile est, significationem receptam esse vulgarem illam, improbatam a nobis, ut *ἐγχεσίμωρος* idem sit, quod *ἐγχεσίμαργος* h. e. *τοῖς ἔγχεσι μαινόμενος* (Etym. 313, 7. ibid. 313, 14.). Itaque aut non miraberis, falsam vocis explicationem, sed multis veterum probatam reperiri apud scriptorem deterioris et notae et aetatis, quem Homeri sensus latebat, aut consulto vocem illam ex *μωραίνειν* ductam esse statues, ut ad similitudinem vocis homericae ridiculi aliquid praeberet; nam Cyllus ille et Leurus, quoquo modo nomina eorum interpretaris, his versibus exagitantur haud dubie tanquam pugnatores fatui hastaque inepte utentes.

Quae de voce *ἐγχεσίμωρος* apud Homerum statuimus, valent eadem de voce *ἰόμωρος*, praeterquam quod de sagittarum usu recte iudicandum est; quare significantur ii, qui sua indole et de deorum voluntate sagittis mittendis occupati sunt.

Denique *ὑλακόμωροι* soli canes dicuntur, quoniam per dies noctesque latrando dediti sunt. Neque enim ullum animal reperiatur, quod tanta impudentia et tanta quasi vociferatione homines fatiget, quam canis, non strenuus solum et magnus, sed etiam timidus et parvus, ita ut illo latratu non feritas

quaedam conspiciatur, sed nativa latrandi cupiditas. Quare veterum nonnulli vocem *ὑλακόμωρος* ad-sensum non male declararunt *ὑλακτικός*. Cfr. Suid. et Etym. s. v.

§. 8.

Qui difficiliores voces ita perspectas habent, ut radicibus compertis significationem primariam suis terminis definire possint, in singulis tamen scriptorum locis quae significationis vis tenenda sit, non semper assequuntur. Etenim multorum vocabulorum notio tempore mutatur, cum populorum, tum singulorum scriptorum usu varie constituitur atque ex orationis contextu pendet loquentisque mente, quae aut primariam, aut derivatam, aut propriam, aut translatam vim statuendam esse iubet. Cum interpretis cura singularis ponenda sit in orationis, quam pertractat, natura singulorumque vocabulorum ratione, videamus, quid de voce *ἰόμωρος* apud Homerum iudicandum sit. De qua etiamsi nostram illam disputationem comprobaveris, non tamen mens homerica facilis et aperta est; neque simplex atque consentiens interpretum sententia reperitur, sed in aliis alia, aut falsa, aut minus perspicua ac definita. Iam ut, quid ego sentiam, eloquar, in argumentatione proponenda secutus sum et sensum meum qualemcunque, et rationem loquendi cum duobus illis locis, tum universa poesi homerica probatam. Utroque loco (Jl. δ, 242. ξ, 479.) *ἰόμωροι* ad Argivos refertur. Priore quidem ab Agamemnone usurpatur catervas Achivorum obeunte; quoscunque segnes et cunctantes inveniret, eos gravi oratione obiurgasse dicitur, cuius initium est,

Ἀργεῖοι ἰόμωροι, ἐλεγχέες, οὔ νυ σέβεσθε;

Altero loco Acamas, dux troianus, cum Promachum occidisset, in Achivos superbius invehitur, his verbis incipiens,

Ἀργεῖοι ἰόμωροι, ἀπειλάων ἀκόρητοι!

§. 9.

Quod epitheton cum nusquam alias legatur neque eius vis illis locis omni ex parte eluceat, oritur prima quaestio de dictionis natura, utrum honorifica sit, necne. In primaria quidem significatione eaque proprie et per se spectata

nihil inest dedecoris; immo honorifici aliquid re ipsa contineri, probabile videtur. Nam illud *ΜΩΡΟΣ* indicat perpetuum usum et quandam peritiam; sagittarum vero usus quin omnino honorificus fuerit, quis dubitat, quum vel ad deos referatur atque nobilissimos bellatores? Est enim Apollo *ἀργυρότοξος* (Jl. *α*, 37.), *κλυτότοξος* (Jl. *δ*, 101.) adeoque praeses *τῆς τοξοσύνης* (Jl. *ο*, 441.); Diana dicitur *ἰοχέαιρα* (Jl. *ε*, 53.), et Hercules artis sagittariae in primis peritus habetur (Od. *ϑ*, 224.); item sagittandi arte eminent Philoctetes (Jl. *β*, 718.), Paris (Jl. *ϑ*, 81.), Eurytus (Od. *ϑ*, 224.), Teucer (Jl. *π*, 511. *ϑ*, 296. sq. *ψ*, 862. *ο*, 440. *ν*, 314.), Idas (Jl. *ι*, 559.), Meriones (Jl. *ν*, 650. *ψ*, 862.), Helenus (Jl. *ν*, 582.); ipsi Achivi sagittas iaciunt (Jl. *γ*, 79. *ν*, 313. Od. *ϑ*, 220.), atque Homerus pugnam ab Hectore instauratam ita describit, ut in utraque pugnantium parte et sagittarios fuisse pateat, et hastatos (Jl. *ο*, 312. 709. *π*, 361. 773.). Sagittis iaculari in singulari arte positum fuisse, eius rei argumentum est, quod plerumque eiusmodi exercitationes in certaminibus publicis proponebantur, ita ut in Patrocli funere principes Achivorum arte illa inter se certasse haud mirandum sit (Jl. *φ*, 850. sq.); in quo genere singulari dexteritate excelluit Ulysses (Od. *ϑ*, 215. sq.), qui mendici specie indutus Laertiadae arcum tetendit, quod frustra conati erant proci (Od, *φ*, 124. sq.); atque socios Ulyssis sagittis instructos et usos esse, multi Odysseae loci declarant, quibus ipse et socii suntis arcubus venatum exiisse dicuntur (Od. *ι*, 156. *κ*, 262.).

Hac disputatione ductus qui honorificam artis sagittariae significationem probare et in duobus illis locis ad vocem *ἰόμωρος* referre velit, habet ille singulare probabilitatis fulcrum in natura permultorum locorum, quibus convicia continentur apud Homerum. Nam hoc in illius aetatis simplicitate cogitandi atque in morum integritate positum est, ut, cum suum cuique tribuat, aliorum virtutes et vitia aeque diiudicet, atque cum alicuius actiones in reprehensionem vocandae sint, virtutes tamen commemorentur et ea denique, quae laudanda sint, in hostibus etiam laudentur. Nostris diebus usus aliter fert; nam si quem graviter reprehendendum existimamus, virtutes eius omnino reticemus; at si quid de laude cuiuspiam praedicandum esse statuimus, in iis, quae laudanda censemus, subsistimus, idque callide facimus et apte ad persuadendum. Quare

interpretes permultis locis homericis hodie offenduntur; sed eos morum quaedam perversitas a vero iudicio excludit. Cuius rei ut exempla nonnulla adiiciam, Idomeneus reprehendens Ulyssem ita orditur orationem, Jl. ϑ, 93.

Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ.

atque Achillem Hector ille infestissimus sic alloquitur, Jl. χ, 279.

ἤμβροτες, οὐδ' ἄρα πώ τι, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
ἐκ Διὸς ἠείδεις τὸν ἐμὸν μόρον, ἤτοι ἔφης γε.

Cfr. Jl. ι, 356. 698. Ad idem genus loquendi referenda est oratio Achillis, qua Agamemnonem increpat, Jl. α, 122.

Ἀτρείδη κύδιστε *), φιλοκτεανώτατε πάντων!

et quod respondet Agamemno, Jl. α, 131.

μὴ δ' οὕτως, ἀγαθός περ ἐών, θεοείκελ' Ἀχιλλεῦ,
κλέπτε νόῳ!

Paris cum Diomedem vulnerasset, superbius exclamare dicitur, Jl. λ, 380.

βέβληαι, οὐδ' ἅλιον βέλος ἔκφυγεν· ὡς ὄφελόν τοι,
νείατον ἐς κενεῶνα βαλών, ἐκ θυμὸν ἑλέσθαι!
οὕτω κεν καὶ Τρῶες ἀνέπνευσαν κακότητος,
οἵτε σε πεφρίκασι, λέονθ' ὡς μηκάδες αἶγες.

Sed his ipsis verbis magnopere laudat Diomedem, quum fortitudinem eius praedicat et, quantum timorem Troianis incutiat, confitetur. Falsum est enim et ab homerica mente abhorret, quod scholiasta monet ad l. l. v. 383. τὸ ἴδιον πάθος ἐπὶ πάντας εἰκάζει. Idem patet ex oratione Pandari, qui cum Diomedem sagitta non trucidasset, hasta eundem aggrediens dicit, Jl. ε, 277.

καρτερόθυμε, δαΐφρον, ἀγαυοῦ Τυδέος υἱέ,
ἦ μάλα σ' οὐ βέλος ὠκὺ δαμάσσατο, πικρὸς ὀϊστός·
νῦν αὖτ' ἐγχείῃ πειρήσομαι, αἴ κε τύχωμι.

Itaque in Achillis oratione (Jl. α, 365 — 412.), qua ultionem precatur a matre, illud εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων (411.) non stomachose dictum est, ut

*) Bentleius, cum in hoc loco vulgata lectio ad sensum minus placeret, κέρδιστε legere maluit: quod omnino improbandum est.

Dammius putat (lex. homer. s. v. εὐρυκρείων), sed ex illorum temporum consuetudine; quam quidem sententiam sexcenties probari existimo, ubi recentiores interpretes prorsus alia divinant et coniiciunt, nostris moribus politioribus fortasse consentanea, ab homerica aetate alienissima. His paucis locis quid de multis sentiam, dictum esto; sed operae pretium est, singulari disquisitione Homeri carmina eo nomine enucleatius pertractare, ut, quo modo quaque mente convicia apud Homerum proferantur, accurate doceatur. Quod qui familiaritate cum Homero contracta rite suscipiet, non dubitandum est, quin de permultis locis egregie mereat.

§. 10.

Proposui quae de voce ἰόμωρος duobus illis locis iure aliquo statui possint idemque illa statuenda esse nego. Nam ego in utroque loco vocis vim contumeliosam esse existimo. Hoc ut ipse confirmes, considera modo, quantum differat, utrum aliquis fortitudine insignis armisque tractandis praeclarus sagittando etiam excellat sive in venatione, sive in ludis, sive denique in pugna, an in sagittis solis occupatus et in arcu gloriam quaerat. Qui hoc unum facerent, ignavius agere videbantur, a certaminibus excludebantur, quibus bellica virtus et fortitudo valerent, armis ornatuque bellico carebant atque ex secunda acie tanquam ex insidiis hostibus nocebant; quorum sagittariorum ac funditorum insignis imago in Locris conspicitur (Jl. ν, 713. sq.). Siquidem temporibus heroicis belli gloria ex ducum virtute potissimum pendet, non facile unquam Achivorum principes, Agamemnonem inquam, Achillem, Diomedem eorumque similes, in certaminibus sagittis uti comperisti, quoniam id ab eorum virorum natura abhorreret. Quare hastas, gladios ad principes et fortes, sagittas, fundas, in pugnis quidem ad inferiores, nunc ad duces, nunc ad bellatores gregarios, nunc ad barbarorum populorum singularem usum referre probabile est. Atque ut strenui bellatores, quid dignitati suae eique, quam meritissimo obtinerent, auctoritati consentaneum esset, intelligentes, perpetuo in gravium et arduarum rerum tractatione versabantur, ita sagittarum iaculationem subdolam illam ut humile quiddam neque satis dignum, quo gloria compararetur, vituperabant et in vitio atque dedecore ponebant. Cuius rei cum aper-

tissima testimonia in Homeri carminibus contineantur, unum locum accuratius consideremus, qui in Iliade (λ, 385.) rectissime et ad optimorum librorum fidem antiquorumque grammaticorum auctoritatem in Wolfii editione sic exhibetur,

τοξότα, λωβητήρ, κέρᾳ ἀγλαέ, παρθενοπῖπα.

Mirum est, quanta et quam varia sit interpretum et antiquorum, et recentiorum disceptatio (vide Heynii ad h. l. obs. itemque schol. et Eustath. ad. h. l.), cum alii nonnullas voces in unam notionem complectantur, alii alio modo interpunctionem exhibeant, alii alias lectiones sequantur, alii singulas voces aliter interpretentur, alii denique alium totius versus sensum constituant, ita ut, ne in sententiis interpretum aut probandis, aut refellendis tempus perdamus, neve consideranda iudicii diversitate mentem nostram modo huc, modo illuc temere distrahamus, de integro, ac si nihil disputatum esset, quaestio pertractanda esse videatur. Sunt illa verba Diomedis, quibus in Paridem invehitur; neque toto versu aliud quidquam viro isti effeminatissimo exprobrari potest, nisi ignavia, cui nescio an nullus heroum homericorum magis indulserit; nam Hector ipse saepius obiurgat illam in bello socordiam, ut eius orationes quaedam (Jl. ζ, 520—529. et γ, 39—57.) superiori loco lucem, quam desideramus, largiter affundant.

τοξότα universe ignavum significat, usu ducto a sagittis mittendis. Nam eo nomine Hector de Paride dicit Jl. γ, 45. *ἀλλ' οὐκ ἔστι βίη φρεσίν, οὐδέ τις ἀλκή*, et ζ, 523. *ἀλλὰ ἑκὼν μεθίεις τε, καὶ οὐκ ἐθέλεις (μάχεσθαι).*

λωβητήρ passive accipiendum est, ut sit infamis; nam Alexander nominatur *λώβη καὶ ὑπόψιος ἄλλων*, Jl. γ, 42.

παρθενοπῖπα mollem et effeminatam naturam indicat, quod aliis locis (cfr. Jl. γ, 39.) *γυναιμανής* sonat, quamquam illud est lenius expressum.

Quartum quod additur epitheton *κέρᾳ ἀγλαέ* ad sagittas singulatim spectat; nam re vera sagittis plerumque utitur (Jl. γ, 17. ζ, 322.). Hoc *κέρᾳ ἀγλαός* est illustris sagittarius *), quod quidem epitheton ita ad reliqua referendum

*) Errorum, quibus scatent antiquorum grammaticorum de hoc loco commentationes, unus

est, ut minora quaedam concedantur, maiora desiderentur. Etenim sensus est, sagittis quidem mittendis excellis, sed ignavia, infamia atque effeminata natura conspicuus es. Eodem modo illud εἶδος ἄριστε ad reliqua refer in loco Iliadis, γ, 39.

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανές, ἠπεροπευτά!

qui modus conviciandi apertius patet Jl. ρ, 142. quum Hectorem increpat Glaucus,

Ἕκτορ, εἶδος ἄριστε, μάχης ἄρα πολλὸν ἐδεύεο!

Ad illud τοξότα (Jl. λ, 385.) vocabulum ἰόμωρος interpretor idemque universe accipio de ignavia, quae eum semel sagittarum abusu oriri putaretur, illo vocabulo notari poterat, etiamsi de sagittis non diserte cogitaretur. Hoc utroque illo loco homerico statuendum esse, orationis ratio te docebit. Neque enim Achivi omnino sagittarii dicuntur, neque illis locis sagittarum usum ad eos pertinere constat. Denique sive tu in voce ἰόμωρος sagittarum significationem evanuisse, ignaviae mansisse existimas, sive ignaviae sagittarumque notionem in Acamae Agamemnonisque mente coniunctam respici autumas, ratio quaerenda est in conviciantium natura, quam in pueris et in hominibus incultioribus, iratis potissimum, cognoscere licet. Qui quum ad convicia proferenda incitantur, quidquid in buccam venit, temere ebulliunt, nihil sibi non tentandum existimant, quo incusare adversarios possint, quamquam veritate ducti suique animi sensu a tali iudicio omnino abhorrent. His in rebus heroum homericorum ratio in conviciando puerulorum persimilis est; nam ut in primo Iliadis libro subsistamus, Achilles irascitur Agamemnoni, multaque iratus dicit, quae neque eum, a quo dicuntur, decent, neque in eum, cui dicuntur, conveniunt.

---

potissimum ad nostra tempora manavit, ut ἀγλαός ad ἀγάλλομαι referatur atque dictio κέρᾳ ἀγλαέ significare dicatur arcu superbientem (τόξῳ ἀγαλλόμενον); quam sententiam a me improbari, monui Quaest. lexil. p. 9. et 21. cum quae formae a radice λάω derivandae esse viderentur, exponerem, atque in voce ἀγλαός splendoris significationem primariam esse, derivatam in qualicunque praestantia et pulchritudine positam esse ostenderem.

Considera modo verba illa Achillis, quibus quum conviciandi causa alloquitur Agamemnonem, Jl. α, 225.

Οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο!

ira quasi obcaecatus neque gravissimi viri et fortissimi bellatoris gloriam iudicii temeritate sustulit, neque vitam eius anteactam ad veritatis rationem revocavit.

Quae cum ita sint, nihil impedit, quominus sicuti ἐγχεσίμωρος et αἰχμητής (cfr. Jl. α, 290. γ, 179. ε, 197. η, 281. 289. π, 431. Od. π, 242.) de forti ac strenuo, ita ἰόμωρος et τοξότης per se de ignavo atque insidioso bellatore accipiantur.

§. 11.

Postremo de vocabulo σινάμωρος *) ut disputetur, redit illud ad σίνεσθαι hoc est *damno afficere, vastare*, et eum significat, qui natus est, ut alios laedat et detrimento afficiat (Herod. V, 92. 6.); eandem notionem habet σιναμωρεῖν (Herod. I, 152. VIII, 35.). Illa cupiditas nocendi atque pruritus ille in rebus qualibuscunque aut male tractandis, aut appetendis positus in infantibus et puerulis conspicitur, qui manus vix possunt coercere, nihil fere intactum relinquunt, partim ut temere laedant et deleant, partim ut, si esculenta sunt, bellaria inquam, libidinem suam expleant. Itaque cognata est altera significatio libidinis cuiusdam, quam Atheniensium natura constituit, usus sanxit; nam cum libidinosae vitae dediti essent ad eamque omnia facile referrent, eum σινάμωρον existimarunt, cuius animus liguritione quadam vehementer irretitus movetur, quominus a rebus, quas affectat, vix abstineat, sed ut partim voluptatibus cupide indulgeat, partim amori libidinoso serviat. Priorem vim exprimit σιναμόρευμα, quo vocabulo Pherecrates apud Etym. 713, 30. usus est, ut furta designaret liguritione commissa. Hanc significationem prorsus neglexit Pherecratis editor p. 77. quum ita scribit, σιναμορεύματα· τὰ κλέμματα.

---

*) Sic recentiores Herodoti editores recte exhibuerunt, Gaisfordus, Matthiae, Baehrius; antea alii, Wesselingius, Reizius, o breve scripserant, inconstantia ducti. Cfr. Lobeck. ad Phrynich. p. 690.

Neque enim sunt *κλέμματα* generaliter intelligenda, sed ad libidines relata, ut aperte docent Etymologi verba, *οἱ μὲν Ἀττικοὶ λέγουσι σιναμορεῖν τὸ λιχνεύειν· καὶ Φερεκράτης τὰ τοιαῦτα κλέμματα σιναμορεύματα καλεῖ.* Alterius singularis significationis, quae in amore libidinoso ponitur, locos poetae comici praebent, ut Aristophanes Nub. 1066.

γυνὴ δὲ σιναμωρουμένη χαίρει.

Ad quem versum quae scholiasta monet, partim falsa sunt, partim ex Etymologo 713, 28. emendanda et redintegranda. Ad eandem significationem *σινάμωρος* referendum est apud Anacreontem, de cuius versu vide Theodorum Bergk, Anacreont. carm. reliq. p. 163. Apud Suidam *σινάμωρος* dicitur *πορνικός*, et apud eundem *ὁ κακόσχολος*, hoc est *otio ad flagitia abutens.* Cfr. Hesych. s. v. *σινάμορος* ibique interpretum observationes.